



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 1. Deus non est causa positiva excæcationis & obdurationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

tanto affectu adheret, ut omnem in oppositum evidentiam præ illo contemnat, non potest non esse gravissimum peccatum. Similiter cordis durities est peccatum, & quidem gravissimum: Nam omnis affectus pravus & voluntarius peccatum est. Atqui durities cordis est affectus pravus & voluntarius (voluntarium autem perfectum hic semper intelligo.) Ergo durities cordis est peccatum. Est autem peccatum gravissimum; quia affectus, quo voluntas in malum tanta obstinatione voluntarie inclinatur, ut admonitiones divinas, quibus à malo deterri possent, non modo contemnat, sed ne sentiat quidem, nec modo non cedat illis, sed nec possit cedere, non potest non esse peccatum gravissimum.

2. Cæcitas mentis est causa peccati. Nam ab excæcatis multa malè fiunt ex cæcitate mentis: sed quæcumque malè fiunt ex mentis cæcitate, peccata sunt: mentis enim cæcitas, cum sit error voluntarius, & peccatum gravissimum, non potest excusare ea, quæ ex illa malè fiunt. Hinc Judæi excæcati, quamvis ob cæcitatem mentis non possent in Christum credere, tamen non credendo in eum, gravissimè peccabant, juxta illud Christi Joan. c. 15. *Excusationem non habent de peccato suo, incredulitatis scilicet.* Similiter durities cordis est causa peccati. Nam ab induratis multa malè fiunt ex cordis duritie. Sed quæ malè fiunt ex cordis duritie, sunt peccata: durities enim cordis, cum sit affectus pravus & voluntarius, à culpa excusare non potest ea, quæ ex illa malè fiunt; imò valere non potest, nisi ad augendam malitiam eorum, quæ ex ea malè fiunt; cum non valeat, nisi ad augendum voluntatis conatum in iis, quæ malè facit, & consequenter voluntarietatem eorum, quæ ab illa malè fiunt. Hinc illud Apostoli ad Rom. c. 2. *Secundum duritiam tuam, & impenitentem cor, thesaurizas tibi iram.*

3. Cæcitas mentis & durities cordis sunt pœna peccati. Hoc docet pluribus locis Scriptura, ut Rom. c. 1. *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Et 2. ad Thess. c. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo misit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Ratio est, quia nemo excæcatur vel induratur, nisi à Deo deseratur. Deus autem neminem deserit, nisi in pœnam peccatorum admissorum; Deus enim neminem deserit, nisi ab eo prius deseratur, & Deus non deseritur, nisi peccando, proindeque Deus non deserit, nisi ut puniat hominis desertionem, hoc est, peccata, quibus homo recedit à Deo, ipsum graviter offendendo, & contra eum rebellat, legem ejus graviter transgrediendo. Ex quibus apparet excæcationem & obdurationem esse aliquo modo à Deo. Quod ut explicetur, fit

RESPONSIO I.

Deus non est causa positiva excæcationis & obdurationis.

Prob. Quia, ut probatum est, Deus non est causa positiva peccati. Atqui cæcitas mentis & durities cordis sunt peccata gravissima, ut etiam probatum est. Præterea, si Deus est causa positiva cæcitatis mentis & duritie cordis, vel est causa physica, vel moralis. Neutrum dici potest. Non primum; nam neque immitit falsas persuasiones intellectui, neque voluntatem physicè movet & determinat ad pravam illum affectum, quo falsis illis persuasionibus cum tanta pertinacia adheret. Item voluntatem non movet & determinat physicè ad pravos illos affectus, quibus ita ad malum inclinatur, ut ne sentiat quidem divinas admonitiones. Non etiam secundum: nam non solum non imperat, aut consulit, sed è contra graviter prohibet actus omnes, quibus mens excæcatur, & cor obduratur; cum omnes illi actus sint gravia peccata. Unde Christus de illis graviter conqueritur, & illos graviter reprehendit Math. c. 13. ubi sic loquitur: *Incrassatum est cor populi hujus, & auribus graviter audiverunt, & oculos suos claverunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanentur eos.*

RESPONSIO II.

Deus est causa excæcationis & obdurationis permissiva tantum, non impediendo, non miserendo, deserendo.

Et 1. quidem quod Deus sit aliquo modo causa cæcitaris mentis & duritie cordis, patet ex Scrip. Nam Exodi c. 9. dicitur: *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Et Ilaïæ c. 63. *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? indurasti cor nostrum, ne timeremus te?* Et Joan. c. 12. *Dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Et Rom. c. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Ratio est, quia Deus est aliquo modo causa omnis pœnæ peccati. Atqui cæcitas mentis & durities cordis sunt pœna peccati. Ergo, &c.

2. Quod sit tantum causa permissiva, non impediendo, non miserendo, deserendo. *Prob.* ex S. Augustino. Nam ita loquitur epist. 105. ad Sixtum: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Et lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Obduratio Dei est nolle misereri, ut non ab illo erogetur aliquid, quo sit homo deterior; sed tantum, quo sit melior, non erogetur.* Et tract. in Joan. 53. *Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, non adjuvando, quod occulta judicio facere potest, iniquo non potest; quia nimirum deserere non potest, nisi desertus; & aliunde justum est, ut qui deserunt, deserantur.* Idem alii docent Patres communiter. Ratio est, quia cæcitas mentis & durities cordis sunt peccata. Deus autem non potest esse nisi causa permissiva peccatorum.

Dices. Deus homines excæcat & indurat per patientiam & longanimitatem, qua eorum peccata tolerat, & pœnam differt, juxta illud Job. c. 24. *Dedit ei Deus locum penitentiae, & ille abiit eo in superbiam.* Et illud Ecclesi. c. 8. *Quia non proferetur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* R. Deum non uti tanta patientia & longanimitate erga peccatores, ut indurentur, sed alias ab aliis, puta ut det illis penitentiam locum, sicut dicitur in primo textu; ut magis appareat ex una parte hominum malitia, & ex altera Dei bonitas & misericordia; ut tanto justior appareat peccatorum vindicta, ut tantam Dei patientiam imitemur erga inimicos nostros, ut electi ex tanta longanimitate Dei contemplatione magis ad ejus amorem accendantur, &c. Peccatores verò ex tanta Dei patientia & longanimitate, Deo ipso justo judicio permittente, occasione sumere pro sua malitia sese excæcandi & indurandi. Hoc clarè dicit Apostolus Rom. cap. 2. *An divitias bonitatis ejus & patientie & longanimitatis contempnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam & impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die ira.* Hoc est: Dei, cum patienter tolerat peccata tua, & pœnam illis debitam differt, sincera intentio est, ut ex tantæ benignitatis consideratione ad penitentiam agendam inducaris. Tu verò contra sinceram illam Dei intentionem, ipso tamen justè permittente, te ipsum magis ac magis indurando, peccata multiplicas. Peccator igitur est causa positiva excæcationis & indurationis suæ, Deus verò causa permissiva tantum.

Dices. Deus multa positivè operatur interiùs & exteriùs circa peccatorem, ex quibus sequitur excæcatio & obduratio peccatoris. Nam v. gr. in eo excitat varias cogitationes, imaginationes, dubia, perplexitates, somnia & visa nocturna. Item immitit varios affectus fiducie, timoris, tristitie, &c. Item procurat illi correptiones, flagella, beneficia, prodigia. R. Deum nihil horum facere, ut peccator induretur, sed alias ob causas justissimas, puta in pœnam peccatorum præcedentium, ad ostendam justitiæ suæ severitatem, ad salutarem aliis timorem incutiendum, ut peccator ipse convertatur, &c. Peccatorem verò, Deo permittente, inde occasionem sumere, mentem suam excæcandi, & obdu-

randi